

Disputant, utrum haec *formalis* ubicatio fiat per modum realem superadditum, ut Suarez, Lessius, de Lugo, Vasquez, T. Pesch censent, an sola adsit distinctio rationis, ut alii cum Bellarmino, Rhodes, Haan, Schneid etc. statuunt.<sup>1)</sup>

*Relative* vero categoria „ubi“ consistit in illis relationibus ad res alias in spatio positas (iuxta, supra, infra, procul, prope etc.), quae ubicationem formalem tanquam fundamentum sequuntur, et sic constituit propriam categoriam, quae tamen nullam rei superaddit realitatem et in extrinseca rei denominatione, i. e. in relatione locali (species relationis) consistit.

#### C. Situs.

In categoria situs potest considerari situs *internus* et *externus*. *Internus* est dispositio partium rei ipsius in se, e. g. membrorum corporis stantis, quiescentis, ambulantis etc., et sic reducitur situs ad formam, neque est propria categoria. Situs *externus* vocantur illae relationes ad res alias, quae ex situ corporis interno oriuntur; et hoc modo *nova categoria* oritur, quae tamen nil realitatis rei superaddit et in specie quadam relationis localis extrinsecae consistit.

#### D. Quando.

Categoria „quando“, sicut „ubi“, considerari potest: *effective*, *formaliter* et *relative*. *Effective* est causa, quae rem certo tempore producit, et pertinet ad categoriam actionis; *formaliter* „quandocatio“ consistit in existentia rei certo quodam tempore, et sic potius ad passionem reducitur; *relative vero* designat relationes illas extrinsecas, quas res tempore certo existens ad res alias habet ratione existentiae, prioritatis etc., et sic constituit *novam categoriam*, quae consistit in specie quadam relationis temporalis. — Plura de ratione ubi et quando in quaestione de spatio et tempore infra dicentur.

#### E. Habitus.

Habitus similiter, si ratio *effectiva* quaeritur, consistit in actione, qua homines se vel alias res ornatu quodam externo, non naturaliter indito induunt (e. g. vestibus, armis, instrumentis etc.); si ratio *formalis* consideratur, est species passionis, i. e. esse indutum habitu aliquo; si *relative* spectatur, est relatio indumenti ad rem indutam, et sic est *propria categoria*, quae consistit in specie quadam relationis praedicamentalis.

<sup>1)</sup> Cfr. Haan, Cosmol. 1894, p. 33; Schneid, Die philos. Lehre von Zeit und Raum, 1886, p. 94 sq.

### Caput III: De causis.

#### § 1. De causa efficiente.

(1. *Notio causae in genere*: Conceptus causae sicut substantiae est in philosophia maximi momenti et omnino fundamentalis. Causa enim est principium actionum, quibus plurimae constituuntur relationes, neque res possunt finem sibi connaturalem attingere nisi per suas actiones. Quare iam initio vitae intellectualis formatur conceptus causae *primitivus* ope experientiae tum externae, tum internae, omnibusque hominibus et eruditis et rudibus, quid significet, notum est. Conceptus igitur primitivus causae significat illud, quod aliquid aliud producit. Iam vero hic conceptus imperfectus reflexione scientifica perficiendus est, primum eo quod notio causae a notione conditionis et occasionis distinguitur, quae in activitate aliquo modo concurrunt; secundo successio temporalis et localis, quae est in genere signum aliquod externum causalitatis, distinguenda est ab eius ratione formali, quae est in influxu quodam positivo interno, sensibus impervio; tertio in effectu ipso producto distinguendum est illud, quod causa per se vel directe produxit, et quod solum per accidens effectum est. Hoc modo conceptus causae perficitur et diversae species causarum distinguuntur.)

*Causa* igitur in genere definitur *principium influxu suo aliquid ex se insufficiens ad esse determinans*. Causa igitur continetur sub genere principii, quod primum aliquid significat, ad quod aliud quocumque modo sequitur<sup>1)</sup>, ac proinde causa ratione effectus sui habet *prioritatem* vel *realem* vel saltem *rationis*; et si est prioritas realis, est vel *temporis* vel *naturae* vel saltem *originis*. (Causa vero addit ad rationem principii tanquam differentiam specificam *influxum positivum* in effectum constituendum, qui influxus iterum potest esse effectui *intrinsecus* vel *extrinsecus*. Nam effectus potest esse producendus in ordine essendi vel fiendi vel cognoscendi. Si producitur in ordine *essendi*, causa est rei intrinseca et vocatur vel *materialis* vel *formalis*, quae simul coniunctae essentiam rei constituunt. Si est in ordine *fiendi*, causa est rei efficiendae extrinseca, et vocatur causa vel *efficiens* vel *finalis* vel *exemplaris*; si tandem agitur de ordine *cognoscendi*, causa vocatur *logica*, de qua in critica tractabatur. — Causae igitur singulae nobis nunc investigandae sunt, quarum praecipua et prima in *ordine physico* est causa *efficiens*.)

2. *Causa efficiens in specie*: *Causa efficiens est principium actione sua existentiam alicuius rei determinans*. Vocatur *principium*, ut distin-

<sup>1)</sup> Cfr. supra p. 392 sq. Aristoteles, metaph. V, c. 1—2.

guatur a mera conditione et occasione agendi; dicitur *actione* sua determinare, ut distinguatur ab aliis causis extrinsecis, quae non physice causant, sed per modum cognitionis; (dicitur rei *existentiam* determinare, ut distinguatur a causis intrinsecis, quae, directe saltem, rei essentiam constituunt, mutua sua communicatione. (In causa igitur efficiente tria consideranda sunt; *principium, actio, effectus*. *Principium* est substantia aliqua tanquam *principium quod* omnis actionis; *principium quo ultimum* est natura causae, *proximum* est aliqua eius potentia, si est res finita. *Actio* autem est ille influxus positivus, licet effectui ipsi extrinsecus, in effectum, quo causa *formaliter* constituitur causa et actu effectum producit. Hic autem influxus est vel immanens vel transiens, sicut actio: in actionibus immaterialibus est immaterialis, in materialibus est materialis, et mutatione quadam sive motu manifestatur, licet ipse in se sensibus percipi non possit. *Effectus* tandem, qui actione producitur, consistit in aliqua mutatione<sup>1)</sup> vel substantiali vel accidentali, ac proinde plerumque tempore, semper autem natura posterior est suâ causâ. Advertendum autem est, causas finitas, etiamsi mutationes substantiales producunt, semper tamen materiam, i. e. subiectum mutationis aliquo modo supponere; non vero actio creatrix divina, quae substantias ex nihilo sui et subiecti producit. Patet, effectum debere esse distinctum a causa efficiente; secus iam existeret ante suam productionem. Neque vero requiritur, ut effectus principio operanti sit prorsus externus, sed sufficit distinctio realis; nam actus immanentes habent effectum in principio elicente remanentem, attamen ab eo realiter distinctum.

3. A causa efficiente distinguenda est: a) *occasio*, ad cuius praesentiam aliquid fit, quae ad agendum per se nihil confert, neque semper requiritur. Nonnunquam autem habet rationem causae moralis vel finalis (e. g. occasio peccati); b) *conditio*, quae quidem ad agendum requiritur, sed solum ut disponens principium sive applicans, e. g. sensatio conditio intellectionis; vel ut removens obstacula, e. g. lignum humidum vel siccum ratione combustionis. Si conditio omnino requiritur, vocatur „conditio sine qua non“.)

4. *Divisio causae efficientis*: Causa efficiens potest esse: a) causa *prima*, quae est Deus; et causa *secunda*, quae sunt res creatae; b) *causa principalis*, a qua effectus primario dependet et cui effectus assimilatur, e. g. scriptor; causa *instrumentalis*, quae dependet a primaria et ab ea regitur, e. g. calamus; effectus utrique debetur, sed diverso modo, utraque est causa totius, non causa totalis; c) *necessaria*, quae semper agit et quantum potest, positis conditionibus;

<sup>1)</sup> Sic Aristoteles, metaph. V c. 2, definit causam efficientem: principium primum mutationis aut quietis.

*libera*, quae se ipsam, saltem ultimo, determinat ad agendum; d) causa *per se*, quae id agit et in tantum, in quantum natura vel voluntate determinatur; causa *per accidens*, quae habet effectum, ad quem non ordinata est, et quidem vel ex parte causae ipsius (casu vel ex defectu instrumenti), vel ex parte effectus, si quid praeter intentionem ex eo sequitur vel necessario vel casu, e. g. occisio *patrum* in bello<sup>1)</sup>; e) causa *univoca*, quae effectum habet eiusdem speciei, e. g. pater filium procreans; et *aequivoca*, quae effectum diversae speciei producit, e. g. artifex statuum; (f) causa *physica*, quae propria virtute vel principali vel instrumentali effectum producit; *moralis*, quae imperio, precibus etc. entia intelligentia ad operandum excitat; g) causa *totalis*, quae totum effectum; *partialis*, quae partem eius producit, e. g. plures agrum fodientes. Partialitas, si est solum ex parte causae, non totius effectus, vocatur causa instrumentalis; h) causa *immediata*, quae sua actione effectum producit; *mediata*, quae per alias effectum producit; unde effatum illud notum: causa causae est causa causati, dummodo causa reduplicative sumatur; i) causa *remota* est principium operans nondum ad operationem determinatum; causa *proxima* est causa ad actum determinata; prior vocatur etiam *actus primus remotus*, altera *actus primus proximus*, ipsa actio autem *actus secundus*.

*Thesis XXXV: Existunt causae efficientes, multaeque certo et immediate a nobis cognoscuntur.*

*St. qu. 1<sup>o</sup> Veteres Sceptici* (Pyrrho, Aenesidemus, Sextus Empiricus) negabant, causas existere vel certo cognosci posse; (Locke († 1704), omnia ex sensuum perceptione explicans, putat conceptum causae nil esse nisi phaenomenorum externam successionem, cui *Empiristae* accedunt, explicantes causam ex associatione idearum interna, orta ex repetita experientia et consuetudine inde facta (Hume † 1776), vel ex inductione quadam (St. Mill), vel ex solo externo concursu omnium *conditionum*, quae influunt in actionem (Aug. Comte, Taine, Ribot,<sup>2)</sup> James, Mach, Ostwald); negant igitur influxum positivum inter causam et effectum vel saltem certam eius cognoscibilitatem. Principium causalitatis cum Hume in quadam associatione idearum, vel cum *Reid* et schola scotica in fide vel inclinatione naturali, vel cum St. Mill in exspectatione casuum similium reponunt, unde mere syntheticum esse putant, neque applicari posse nisi ad res sensibiles.)

2<sup>o</sup> Alii ut *Kant, Schopenhauer*, non negant causalitatem, sed putant, notionem causae non esse obiectivam, sed formam innatam

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. in 5 metaph. c. 2, lect. 3. <sup>2)</sup> Cfr. Boullay, Principes d'Anthropologie, 204 sq. Ribot: „La cause est un autel au Dieu inconnu, un piédestal vide qui attend sa statue“.

intellectus, cui quid subsit, nobis esse incognitum, ac proinde principium causalitatis non habere valorem nisi in ordine logico, neque esse analyticum, sed syntheticum a priori; non posse applicari nisi ad phaenomena sensibilia.<sup>1)</sup> — (Similiter sentit Spencer, principium causalitatis in nobis esse ex hereditate parentum ac proinde a priori, proavos autem nostros illud ex constanti experientia et associatione inde orta a posteriori formasse; utramque igitur sententiam ac proinde utriusque errores complectitur.

3<sup>o</sup> Alii tandem non negant sive causam obiectivam, sive valorem principii causalitatis, sed negant esse plures causas; unicam causam esse Deum, res creatas carere propria causalitate et solum habere rationem occasionis quoad divinam operationem. Hi vocantur *Occasionalistae*, quorum errorem in cosmologia refutabimus.)

I. *Conceptus causae efficientis est obiectivus, i. e. existunt causae efficientes.*

*Prob. 1. Ex experientia externa:* Experientia quotidiana docet, multas res fieri omni momento, ita tamen ut non ex nihilo fiant, neque mere sibi succedant, sed ita ut una res alteram per influxum positivum ad existentiam perducatur; nam a) certi effectus non habentur nisi certae causae adsint, e. g. lux non adest, nisi sol adest; fructus non habentur, nisi ab arboribus producantur. b) Modum quoque influxus positivi unius rei in alteram optime perspicimus; distinguimus enim facile inter rationem causae propriae et merae conditionis vel occasionis, (e. g. inter modum, quo lux et quo calamus necessaria sunt ad scribendum; distinguimus facile et certo inter causam principalem et instrumentalem, e. g. inter scriptorem et calamum, inter causam per se et per accidens; inter causam moralem et physicam, liberam et necessariam.) *Atqui* percipere, rem aliquam influxu positivo alteram ad existendum determinare, est idem ac percipere causas obiective existentes. *Ergo* existunt causae obiectivae.

2. *Ex experientia interna:* Constat, multos in nobis esse actus intellectus, voluntatis, sensationum, motus membrorum, quorum alter ab altero dependeat et excitetur; deinde constat, in nobis ipsis esse principium illarum operationum, nosque illas posse elicere vel impedire ad libitum, et quo maior in nobis sit influxus voluntatis, eo

<sup>1)</sup> Cfr. Pesch, *Haltlosigkeit der modernen Wissenschaft*, L.-Stimmen, 1877, pag. 77; Geysler, *Das philos. Gottesproblem*, pag. 108 sq. De tota hac quaestione confer porro Lang, *Das Kausalproblem*, I, 1904, Bachem, Köln; Al. Schmid, *Erkenntnislehre*, 1890, II, 27 sq. Wundt, *Einleitung in die Philosophie*, 1901, p. 293.

fortiorem esse membrorum motum; porro constat, nos saepe dependere in actibus illis eliciendis ab obiectis tanquam causis determinantibus, vel requiri certas condiciones vel occasiones; denique testatur conscientia, nos quandoque a re interna, quandoque a re externa affici, nos aliquando libere, aliquando necessario operari, ac proinde non solum meram actuum successionem percipimus in nobis, sed etiam earum causam et modum, quo a causa sua vel adaequata vel inadaequata proficiscuntur. *Atqui* eiusmodi perceptio manifestat causas obiective existentes, i. e. principia, quae influxu suo positivo alias res ad existendum determinant. *Ergo* conceptus causae efficientis certo obiectivus est.<sup>1)</sup>

3. *Ex consensu hominum et modo loquendi:* Omnibus hominibus persuasum est, se esse causam proprie dictam suarum actionum ac propterea sine ulla haesitatione dicunt — ne scepticis quidem exceptis — *se* ambulare, *se* scribere, *se* manducare etc.; et tota grammatica de verbi modis et temporibus, de propositionibus et pronominiibus esset inepta, nisi constaret, esse causas obiective existentes.

4. *Ex absurdis:* Si causae obiective non certo existerent: a) res naturales non possent certo cognosci, neque in certas species distribui, si quidem non cognoscuntur, nisi per effectus suos vel physicos (in sensus nostros) vel chemicos; b) neque leges naturae (physicae, chimicae, mechanicae) certo statui possent, si quidem ex rerum certis effectibus deducuntur; c) neque instrumenta, machinae etc. construi possent; nam supponunt, ad certos effectus certam quoque causam requiri; d) neque culpa vel poena vel meritum certo statui posset, nisi influxus causae in effectum, i. e. differentia inter causam liberam et necessariam, physicam et moralem, causam per se et per accidens, principalem et instrumentalem certo constaret. *Ergo* conceptus causae necessario est obiectivus.

5. *Ex falsis adversariorum suppositis:* a) *in genere:* Empiristae supponunt, unicum vel saltem fontem principalem cognitionis nostrae esse sensationem, quae non percipit nisi successionem localem et temporalem, non influxum illum internum et positivum, in quo est essentia causalitatis. Cfr. p. 256.

b) *in specie:* Contra *Locke:* a) saepe adest successio temporalis et localis, non tamen causalitas e. g. dies et nox; b) saepe non adest successio, adest tamen causalitas, e. g. ignis, lux et calor; c) homines etiam rudes non sunt contenti successione temporali et locali, sed causam eius inquirunt; d) non esset ratio, hanc rem tanquam causam, aliam tanquam effectum habendi, praesertim si causa et effectus simul sunt, nisi causa ipsa eiusque influxus realis certo apprehenderetur. *Ergo* conceptus causae et effectus ex phaenomenorum successione explicari nequit.

<sup>1)</sup> Cfr. Domet de Vorges, *Cause efficiente et cause finale*, Paris, 1889.

Contra *Hume*<sup>1)</sup>: a) Habemus conceptum causae et effectus, etiamsi nulla sit experientia repetita et inde associatio constans formata, e. g. etiam prima vice certo scio, ignem me urere; b) adest saepe firma et constans associatio, non tamen causalitas adest vel adesse dicitur e. g. in recordatione itineris, singulae notae in melodia aliqua, hallucinationes infirmorum; c) conscientia testatur, certitudinem et necessitatem, quam conceptibus causae et effectus tribuimus, non esse mere subiectivam, sed obiectivam, e. g. solem nunc me luce sua et calore afficere; d) non posset distingui inter causam et effectum; nam effectus saepe prius a nobis percipitur, quam causa e. g. experior percussionem et *deinde* video eius causam sc. hominem me percutientem; secundum Hume autem tota cognitio nostra est subiectiva, unde deberem iudicare, percussionem esse causam percutientis. Ergo conceptus causae et effectus non oritur ex constanti experientia et associatione idearum.

Contra *St. Mill*: a) saepe adest similitudo rerum, non tamen causalitas e. g. homines sibi similes, non tamen sunt pater et filius vel fratres; constat, similes effectus saepe ex diversa causa oriri e. g. calor nunc a sole, nunc a fornace, nunc ex motu, cursu etc.; b) saepe non adest similitudo, adest tamen causalitas, e. g. pater et filius vel fratres dissimiles; c) similitudo ad summum probabilitatem efficeret, non tamen certitudinem, quae tamen adest in causalitate. Similitudo rerum aut repetitur ex eadem causa, aut non; si primum, supponitur iam causa; sin alterum, non habetur notio causae; d) similitudo sola non ostendit, quae res sit causa, quae effectus, nisi nexus ipse apprehendatur; neque enim sufficit sola successio temporalis, ut ostendimus; e) inductio, quam *St. Mill* adhibet, vel iam supponit causalitatem ac proinde conceptum causae obiectivum, aut non; si primum, adest petitio principii; sin alterum non potest fieri inductio certa (cfr. supra p. 205.) f) Accedit, quod *St. Mill* principium illud, quo suam inductionem fundat: ordinem naturae esse constantem, iterum ex experientia derivat, unde recidit in sententiam *Lockei* vel *Humei*.

Contra *Comte* et positivistas (*Mach*, *Ostwald*, *Paulsen* etc.): a) Si causa consisteret in toto complexu conditionum, non iam certo distingui posset inter causam, cui effectus proprie tribuitur, et condiciones sive occasiones: porro inter causam principalem et instrumentalem, physicam et moralem etc., quod repugnat experientiae et conscientiae, e. g. scribendo optime scio, quae sit causa propria, quae instrumentalis, quae materialis, quae conditio, quae occasio. b) Non iam fieri posset inductio per modum eliminationis et determinationis, quae praecise *veram* causam investigat et a conditionibus distinguit. Et si dicis, inductione „*factorem constantem*“ ex toto complexu eliminari et determinari, hic factor constans praecise est causa efficiens, a qua non differt nisi nomine.

Contra *Spencer*: Quum *Spencer* doceat, notionem causae et effectus et principium causalitatis in proavis nostris, i. e. in primis hominibus, a bestiis ortis, ex sola experientia inesse, recidit in sententiam *Lockei* vel *Humei*. Quum porro etiam doceat, illas notiones nobis a priori inesse, refutatur simul cum *Kantio* et defensoribus idearum innatarum.

<sup>1)</sup> Cfr. Wundt, Einleitung in d. Philosophie 1901, p. 233; cfr. supra p. 252 sq.

## II. Conceptus causae immediate et certo per abstractionem formatur.

*Nota*, hanc partem thesisi refutare praesertim sententiam *Cartesii*, *Leibnitzii*, *Kantii* aliorumque, qui putant, notionem causae nobis esse a natura insitam, non per abstractionem immediate formatam; deinde opinionem *Lockei*, *Humei*, *St. Mill* etc., qui censent notionem causae esse factitiam vel ex associatione idearum vel ex inductione ortam.

*Prob. 1. Ex experientia externa*: Conceptus causae immediate per abstractionem formatur, si ipsam causam in actu causandi percipere possumus. *Atqui* revera causam et effectum non solum abstracte percipimus, sed testante experientia *concrete*, i. e. in actu causandi, licet non sensibus, sed intellectu; nam videmus hominem actu ambulans, opifices actu operantes, arbores fructus producentes etc. *Ergo* conceptus causae immediate per abstractionem formatur.

*2. Ex experientia interna*: Constat conscientiam, nos producere actus internos intellectus, voluntatis, sensationis; nos ad libitum movere corporis membra. *Atqui* illi actus sunt immanentes in principio suo elicente, neque sine illo percipi possunt. *Ergo* simul cum effectibus etiam eorum causa percipiatur oportet, i. e. corpus et anima nostra.

*3. Ex absurdis*: Si notio causae efficientis non immediate per abstractionem acquireretur, deberet esse vel innata vel mediate formata. *Atqui* neutrum admitti potest: *non primum*, quia nulla est pro nobis necessitas neque utilitas idearum innatarum, ut ostendimus (pag. 272 sq.); *non alterum*, quia notio causae, sicut notio entis, substantiae et accidentis: a) est primitiva et omnium maxime fundamentalis et ad alias notiones multas mediate efformandas adhibetur; ipsa autem supponitur; b) neque posset formari nisi ex conceptu effectus. *Atqui* conceptus effectus necessario iam includit et supponit notionem causae. *Ergo* notio causae non potest mediate formari, sed immediate per abstractionem efficitur.

*Scholion*: Quoad *originem* conceptus causae quaeritur: 1<sup>o</sup> utrum *primo ex experientia interna* (ex actibus immanentibus), an *ex experientia externa* (ex sensatione) formetur; 2<sup>o</sup> utrum *aeque immediate* ex utraque experientia oriatur, an proprie et immediate ex interna experientia, mediate et improprie ex experientia externa, ita ut ad experientiam externam transferatur per quandam analogiam.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Müller, System der Philos., p. 108: „Immer aber ist festzuhalten, dass das Selbsterleben des Ichs als substantieller Kausalität das Primäre, die Uebertragung des Kraftprinzips auf das äussere Geschehen das Sekundäre ist.“ Lang (Akad. Monatsblätter 1900, p. 433 sq.) provocat ad analogiam e. g. ex impressione quadam in corpus nostrum ad globulos vi propulsos.

Ad *primum* videtur dicendum, experientiam externam non fieri nisi per actus sensationis nobis immanentes ac proinde conceptum causae oriri per experientiam externam et internam *simul*. Si vero quaeritur, utra habeat partem *potiorem* in conceptu causae *primo* formando, videtur esse *experientia externa*, quia a) cognitio nostra intellectualis oritur ex sensatione, quae est principium experientiae externae; b) quia conceptus causae materialis et causalitatis per actionem transeuntem nobis magis obvius est, praesertim rudibus, quam causalitas animae nostrae simplicis per actiones immanentes.

Ad *secundum* vero videtur respondendum, etiamsi conceptus causae *primo* formaretur ex experientia interna, certe tamen *aeque immediate* nascitur ex experientia externa. Hoc probatur: a) ex rationibus modo iam adductis; b) secus enim causa materialis et actio transiens non posset concipi nisi per relationem ad causam spiritualem animae nostrae et actionem immanentem, ita ut conceptus causae et actionis materialis essent factitii et analogici. *Atqui* constat, conceptus rerum materialium esse proprios et immediate formari ex sensatione; deinde constat, conceptum animae nostrae ut est causa actuum immanentium, et conceptum actus immanentis potius efformari et facilius intelligi ex natura causae et actionis transeuntis, et nomina ipsa desumpta esse ex causalitate rerum materialium. c) Denique non posset ostendi, quo iure ratio causae ex sola experientia interna et natura causalitatis animae nostrae formata ad res externas diversae prorsus naturae certo transferretur. Nam ratio causae in causis materialibus ipsis aut certo percipitur aut non. Si non, nulla est ratio causalitatis transferendae; si in ipsis percipitur, haec perceptio vel est mediata vel immediata. Si mediata, non posset esse nisi per conclusionem ex effectu ad causam.

*Atqui* 1<sup>o</sup> conceptus effectus necessario includit iam conceptum causae; si igitur effectus, i. e. determinatio sensuum per obiecta immediate percipitur, etiam ipsa causa immediate cognoscitur.

2<sup>o</sup> Principium causalitatis *supponit* notionem causae. Ut igitur hoc principium ad res materiales applicari possit, debet iam *supponi*, valere etiam in rebus materialibus ac proinde in ipsis esse veram causalitatem. *Atqui* tunc ante omnem conclusionem ratio causae materialis iam certo percipi debet. *Ergo* causalitas per experientiam externam immediate ab intellectu apprehenditur.

d) Quodsi notio causae ex sola experientia interna formaretur et per „analogiam“ ad res externas transferretur, facile vel cum Schopenhauer, Wundt, Paulsen, E. v. Hartmann aliisque concluderetur, causas extrinsecas etiam voluntate agere ac proinde quandam habere perceptionem et esse animatas ad instar animae nostrae causantis, vel cum Kant dicendum esset, rationem causae non applicandam esse nisi ad phaenomena sensibilia, vel cum Jacobi, non spectare nisi causas finitas, siquidem anima nostra causans est corporata et perfectionis finitae, vel cum phaenomenalistis esset statuendum, omnem causalitatem reduci ad activitatem animae nostrae, siquidem haec activitas per se non est nisi nobis immanens. *Atqui* haec omnia sunt absurda. *Ergo* conceptus causae vel primaric vel saltem aequo modo ex experientia externa formatur. Sententia opposita videtur inniti falso sup-

posito Idealismi sc. nos primo et immediate non cognoscere nisi subiectivas nostras affectiones. (Cfr. supra p. 103 sq.)

*Obi.* 1. Ut possimus esse certi de obiectivae causae existentia, deberet constari de eius influxu positivo in effectum. *Atqui* hic nullo modo percipitur. *Ergo* . . .

*Dist.*: non percipitur sensibus — conc.; intellectu, subd.: per intuitum — conc.; per simplicem intelligentiam in et cum effectu, iterum *dist.*: semper certo et directe — conc.; nunquam certo et directe — nego.

2. *Atqui* nunquam certo et directe intellectus causam obiectivam percipit; nam non percipit nisi mediantibus sensationibus; sensationibus autem res existentes respondere, non potest probari, nisi supposito principio causalitatis.

*Dist.* I partem: intellectus non percipit nisi mediantibus sensationibus causam omnem, etiam immaterialem — nego; primo et in genere, subd.: percipit sensationibus tanquam medio „quod“ — nego; tanquam medio „quo“ — conc.

*Dist.* II partem: Sensationi respondere rem obiectivam non probatur nisi supposito principio causalitatis; *dist.*: in cognitione reflexa, — conc.; in cognitione directa — nego. Sensibus enim apprehendentibus res externas agentes per motum, intellectus simul in ipsis apprehendit causam, eiusque conceptum per abstractionem efformat.

3. *Atqui* causa obiectiva directe et immediate percipi nequit; est enim relatio, quae non existit nisi in mente (sic Aenesidemus scepticus);

*Dist.* I partem: Causa *consistit* in relatione — nego; *producit* relationem tanquam eius fundamentum — conc.

*Dist.* II partem: Relatio non existit nisi in mente, *dist.*: formaliter — conc.; fundamentaliter, subd.: si est mere logica — conc.; si est realis, ut causalitas — nego.

4. *Atqui* causa obiectiva ut fundamentum illius relationis nullo modo ostendi potest; nam causa effectum aut praecederet aut concomitaretur aut subsequeretur. *Atqui* non praecedit; non est enim causa nisi per effectum productum; non concomitatur; secus eodem iure effectus tanquam causa haberi posset; non subsequitur; alioquin nulla ratio causae adesset. *Ergo* causa obiective probari nequit (ita iterum Aenesidemus).

*Resp.* I: Nego disiunctionem et addo membrum omissum: aut praecedit *naturâ* simulque concomitatur *tempore*.

II. *Dist.* maior., ut in *resp.* I indicatur; *dist.*: minor.: 1<sup>o</sup> Non praecedit tempore — trans.; neque natura — nego; ad rationem additam *dist.*: ut *actu* causans — conc.; ut res in se *capax* causandi — nego.

2<sup>o</sup> Non concomitatur, *dist.*: nonnunquam — trans.; semper — nego; ad rationem additam, *dist.*: nisi per experientiam sive externam sive internam nexus obiectivus constaret i. e. quae res si causans (e. g. sol lucens) et quae causata (e. g. aër sole illuminatus) — conc.; quum hoc possit constare — nego.

3<sup>o</sup> Non subsequitur, *dist.*: ut causans — conc.; ut res per se existens, saltem nunquam — nego.)

*Thesis XXXVI: Principium causalitatis est analyticum ac proinde necessarium et omnino certum, (et obiectivum habet valorem.)<sup>1)</sup>*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Thesis est contra Locke, Hume, St. Mill, Taine etc., qui putant hoc principium esse ex experientia, tum contra Kant,<sup>2)</sup> Schopenhauer, Wundt etc., qui illud syntheticum a priori esse docent, vel non habere valorem nisi in rebus sensibilibus; Jacobi putat, non valere, nisi in causalitate rerum finitarum.

2<sup>o</sup> Principium analyticum est, quod ex sola comparatione notarum subiecti et praedicati vel mediate vel immediate formatur.<sup>3)</sup> Affirmamus, principium causalitatis, nisi sit immediate notum, directe tamen tum ex principio contradictionis, tum ex principio rationis sufficientis fluere quasi immediata illatione.)

### I Principium causalitatis est analyticum.

*Prob. 1. Ex principio contradictionis:* Nihil potest simul esse et non esse sub eodem respectu (cfr supra p. 394 sq.). *Atqui* si quid fieret sine causa efficiente, idem posset simul esse et non esse sub eadem ratione; nam quod fit, ex non-esse transit ad esse, sive ex potentia ad actum, et hic transitus fieret vel propria virtute vel aliena virtute. Si propria virtute, res deberet iam existere, ut possit agere; nam agere supponit principium suum agens tum re tum conceptu; sed supponitur rem nondum existere, si quidem debet fieri. Ergo deberet existere, ut possit agere (transire a non-esse ad esse), et simul non existere, siquidem adhuc producendum est, quod repugnat principio contradictionis. *Ergo* quod nondum existit, debet vi alienâ i. e. per rem iam existentem ad existentiam deduci.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Eisler, Wörterbuch der philos. Begriffe, 1899, artic. Causalität; Philos. Jahrb. 1896, p. 265, Prof. Al. Schmid, Das Kausalitätsproblem; Akad. Monatsbl. 1900, N. 6, 7, 9. Philosoph. Jahrb. 1901, II, 287 sq. <sup>2)</sup> Kant hoc principium falso enuntiat: „Alles, was geschieht, setzt etwas voraus, wofür es nach einer Regel folgt.“ Necnon J. St. Mill, principium causalitatis esse successionem necessariam et immutabilem phaenomenorum in rerum natura, et esse ex inductione i. e. enumeratione simplici deductum, sicut summum illud axioma: Ordo naturae est constans. <sup>3)</sup> Kant: Analytische Urteile sind diejenigen, in welchen die Verknüpfung des Prädikates mit dem Subjekt durch Identität; diejenigen aber, in denen diese Verknüpfung ohne Identität gedacht wird, sollen synthetische heißen“ (K. u. V. p. 39). „Alle analytischen Urteile beruhen gänzlich auf dem Satz des Widerspruches“ (Proleg. ed. Kehrbach, p. 42). <sup>4)</sup> Haec fere est argumentatio Aristotelis (phys. VII et VIII; metaph. IX 8) et S. Thomae (I, qu. 2, a. 3; c. gent. I, 13): „Nihil movetur, nisi quod est in potentia ad illud, ad quod movetur . . . De potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu . . . Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem . . . Impossibile est ergo, quod secundum idem et eodem

(2. *Ex principio rationis sufficientis:* Principium rationis sufficientis est analyticum et necessarium.) *Atqui* principium causalitatis necessario ex principio rationis sufficientis fluit. *Ergo* et ipsum est analyticum et necessarium.

*Prob. minorem:* Principium causalitatis sic effertur: Nil fit sine causa efficiente, et aequivalet huic: existere incipiens habet causam efficientem. *Atqui* nil potest esse sine ratione sufficiente, ac proinde nihil potest incipere existere sine ratione, cur incipiat existere. Sed haec ratio aut est *intrinseca* rei aut *extrinseca*. a) Iam vero si esset in ipsa re incipiente, esset aut eius activitas aut eius essentia aut eius possibilitas. *Atqui* haec omnia repugnant: *primum*, quia quod agit, debet iam existere; alterum, quia res supponitur indifferens ad esse et non esse, et si ratio existendi esset in ipsa rei essentia, res semper extitisset neque posset cessare; tertium repugnat, quia tunc eodem iure omnia possibilea existerent et semper existerent. *Ergo* ratio, cur res incipiat existere, est ei *extrinseca*.

b) Porro res aliqua alteri est ratio, cur incipiat existere, vel per solam relationem seu denominationem extrinsecam, vel per positivum influxum. *Atqui* non potest res aliqua alteri ratio esse existentiae per meram relationem seu denominationem extrinsecam; nam omnis res habet ad multa possibilea, quae possent existere, eandem relationem seu denominationem extrinsecam, ac proinde iterum non esset ratio sufficiens, cur hoc potius inciperet existere quam aliud possibile. Ergo ratio sufficiens sola, cur aliquid incipiat existere, est influxus positivus, quem alia res exercet. Hoc autem nil aliud est, nisi esse eius causam efficientem. *Ergo* ex principio rationis sufficientis principium causalitatis necessario sequitur ac proinde eodem modo analyticum est atque certum et necessarium.

3. *Ex hominum consensu:* Illud principium analyticum est vel ex analytico immediate sequens, certum et necessarium, quod omnes homines, etiam rudissimi et infantes, immediate percipiunt. *Atqui* constat, homines omnes et eruditos et rudes, adultos et infantes, quotiescunque aliquid fieri perscipiunt: a) semper causam aliquam subesse fixum ratumque habere; b) causam inquirere et quidem effectui proportionatam; c) stultum eum habere et mente captum, qui quidquam sine causa fieri putaverit. *Ergo* principium causalitatis analyticum certumque est.

4. *Ex absurdis:* Si principium causalitatis non esset analyticum: a) leges naturae essent incertae, quae ex phaenomenis et effectibus

modo aliquid sit movens et motum vel quod movet seipsum. Ergo omne quod movetur, ab alio movetur.“ Cfr. Phil. Jhrb. 1901, p. 288 sq.: Willems, Die obersten Seins- u. Denkgesetze nach Aristoteles u. dem hl. Thomas von Aquin.

<sup>1)</sup> Cfr. supra p. 395 sq.

deducuntur, siquidem inductio, ut vidimus (supra crit. p. 80 et 205 sq.), supponit principium causalitatis, ut sit certa. Nulla igitur sine principio causalitatis posset esse scientia physica, chimica, astronomica, mechanica; nulla instrumenta possent fieri, ita ut certum semper effectum haberent; b) tunc aliquando effectus esset sine causa. *Atqui* haec absurda ab omnibus habentur, neque unquam effectum sine causa proportionata fuisse experientia docuit. Immo constantia materiae in omnibus mutationibus a Lavoisier probata et constantia energiae (Äquivalenz der Kräfte) a Rob. Mayer et Joule demonstrata ostendunt, legem causalitatis in universa natura valere. *Ergo* principium causalitatis est analyticum, omnino certum et necessarium. (Cfr. crit. pag. 197 sq.)

*Obi.* 1. Principium causalitatis non est analyticum, quia praedicatum in subiecto non continetur (Hume, Kant); nam fieri non idem est quod effici; dist.: praedicatum in subiecto non continetur explicite et formaliter — conc., non implicite et virtualiter — nego. Deinde fieri non est effici, dist.: formaliter — trans.; realiter — nego.

2. *Atqui* praedicatum (causari) subiecto per solam experientiam convenire constat; dist.: origo huius principii debetur experientiae — conc.; nexus ipse inter subiectum et praedicatum debetur soli experientiae — nego.

3. *Atqui* nexus ille non probatur; nam principium causalitatis nititur principio rationis sufficientis. *Atqui* hoc probari nequit; dist.: proprie — conc.; indiget probatione — nego; est enim immediate evidens ex comparatione conceptuum subiecti et praedicati rite explicatorum necnon immediate ex principio contradictionis fluit (cfr. supra p. 395).

4. *Atqui* principium causalitatis non dicit nisi necessitatem logicam; dist.: logicam et realem — conc.; solum logicam — nego; est enim efformatum ex notione causae *obiectivae*.

5. *Atqui* si realem habet necessitatem, non posset esse effectus liber; dist.: causa necessario adest, quando effectus adest — conc.; effectus necessario adest, quando causa adest, subd.: si causa est necessaria, positis omnibus conditionibus — conc.; si causa est libera<sup>1)</sup> — nego.

## II. Principium causalitatis est universale.

*Prob.* 1. *Ex eius necessitate*: Principium causalitatis est necessarium, quia nexus inter subiectum et praedicatum est necessarius, i. e. independens ab omni experientia, sicut principia contradictionis et rationis sufficientis. *Atqui* quod necessarium est, semper est et ubique eodem modo est. *Ergo* principium causalitatis est universale, i. e. ubicunque fieri aliquod deprehenditur, etiam causa eius erit statuenda.

2. *Ex experientia*: Nisi principium causalitatis esset universale, posset vel deberet sive in nobis sive in rerum natura effectus esse sine causa. *Atqui* experientia tum interna tum externa ubique et

<sup>1)</sup> Haec fere sunt, quae Wundt et alii obiciunt.

semper causas ostendit, quotiescunque aliquod fieri cognoscitur (e. g. lex aequivalentiae virium). *Ergo* . . .

## III. Principium causalitatis habet obiectivum valorem.

*Nota*: Haec pars thesis affirmat principium causalitatis non solum esse legem cogitandi, sed etiam legem essendi, quod Empiristae, duce Hume, St. Mill etc., negant; neque solum valere pro rebus sensibilibus, ut Kant putat, vel pro rebus finitis, ut Jacobi censet, sed pro omni fieri in quocunque ordine.

*Prob.* 1. *Ex valore obiectivo conceptus causae et effectus*: Conceptus causae et effectus, ut vidimus, sunt obiectivi et causam et effectus percipimus immediate tum in ordine materiali (occasione sensationis) tum in ordine spirituali (per conscientiam). *Atqui* ex conceptibus causae et effectus principium causalitatis formatur. *Ergo* etiam principium causalitatis est obiectivum.

2. *Ex origine huius principii*: Principium causalitatis deducitur, ut ostendimus, ex principio contradictionis et rationis sufficientis. *Atqui* utrumque hoc principium est obiectivum et transcendentale. *Ergo* etiam principium causalitatis est obiectivum et universale valetque ratione „fieri“ in omni ordine.

3. *Ex natura cognitionis nostrae*: Cognitio nostra tunc vera est, si est conformis obiectis, quae teste conscientia et persuasionem hominum sunt extra nos et a nobis independentia. A fortiori igitur haec veritas i. e. conformitas cum obiectis in cognitione illa adesse debet, quae est fundamentum omnis verae et certae cognitionis. *Atqui* principium causalitatis est, ut omnes concedunt, lex necessaria et fundamentalis cogitandi. *Ergo* debet esse obiectivum.

4. *Ex absurdis*: Si principium hoc valore obiectivo universali privaretur, a) inductio fundamento suo destitueretur (cfr. crit. p. 203 sq.) ac proinde scientiae naturales non iam certae essent; b) tunc posset et deberet aliquando effectus esse sine causa, quod tamen experientiae et hominum persuasioni contradicit. *Ergo* . . .

*Coroll.* I. Non igitur recte explicant principium causalitatis, qui illud sic pronuntiant: Quidquid est, habet causam sufficientem.<sup>1)</sup> Ita enim etiam Deus, qui ex se existit idque necessario, deberet causam habere i. e. esse causam sui ipsius; causae autem efficientis conceptus supponit, ut adducat aliquid *non-dum existens* ad existendum, ita ut causa saltem natura prius sit quam effectus et ab effectu ipso *realiter* distinguatur, quod certe de Deo eiusque natura dici nequit. Principium igitur causalitatis applicari nequit nisi ad res, quae incipere possunt, quod ipsum subiectum axiomatis: Omnis effectus = omne quod fit, expresse indicat; ex subiecto autem propositionis secundum praeccepta logica (p. 40) eius quantitas i. e. extensio dependet. — *Ergo* principium hoc non erit universale? Certe non est prorsus transcendentale ita, ut etiam

<sup>1)</sup> Cfr. Didio, Der sittl. Gottesbeweis, p. 20; Schell, Die göttl. Wahrheit des Christentums I, 108 sq.